



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinæ

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. XXXI. Irreuerentia cuiusdam erga sacras Reliquias diuinitus punitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

C A P V T X X X I .

Irreuerentia cuiusdam erga sacras Reliquias diuinitus punitur.

SVB idem tempus, ad quamdam bonę deuotionis Matronam, in quoddam castellum intrauerat I O S E P H noster; ut salutaret eamdem, quam pro deuotionis opinione, & ministerij sedulitate (quod religiosis exhibere consuevit) admodum familiariter diligebat. Allata fuerant illuc duo capita Virginum beatarum: quae apud eam in scrinio seruabantur. Quod cum(nescio quo casu) fuisset positum super terram; quidam in oculis I O S E P H, nullam exhibens sacratis Reliquijs reuerentiam, super illud non timuit residere. Vidēs dilector Virginum sacratarum, tales ipsis exhiberi contemptum, zelo zelatus est nimio pro dilectis; & (sicut ipse nobis in iucunditate spiritus recitare solebat) totus intrinsecus igne

igne indignationis exarsit; concupi-
uitque, ut ea vltio contemptorem Vir-
ginum sequeretur, qua vesanus bea-
ti Martini contemptor, sella confla-
grante sub eo, sancto Viro assurgere
cogebatur. Mirum in modum, effe-
ctus continuò beati Viri desiderium
est secutus, illo zeli ardore (quem taci-
tè gerebat in pectore indignanti) in

*Vltio diuina in sa-
crarum Reliquiarum
contempto-
rem.*

contumacis posteriora sessoris mira-
biliter transeunte; quem ille non fe-
rens, cum festinatione exsiliit, caus-
sam tam subiti, quem senserat, ardoris
ignorans: quam tamen beato Viro re-
ferente cognouit; nequaquam tamen
sibi, sed sacrarum Virginum meritis,
hanc eo attribuente vindictam. Qua-
lem, putamus, ardorem timebimus,
qui nec Sanctorum Reliquiis, nec locis
sacratis, imò nec ipsi Sancto sancto-
rum in Ecclesia vel in Choro, vel co-
ram Altari reuerentiam exhibemus;
indignantibus nobis sanctis Angelis,
sacrorum locorum custodibus, & ma-
xime

ximè circa Corpus Dominicum, imò circa ipsum Dominum deuotas & reuerendas excubias celebrantibus? Indignantur nobis proculdubio, indignantur, quoties nos sancta altaria, vana cogitando, negligentius inclinando, Dominum non orando & honrando, viderint pertransire.

CAPVT XXXII.

Quomodo in raptu viderit pulchritudinem creaturarum.

IN quotidianis laborantem tribulationibus seruum suum Dominus mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, multiplicibus consolationibus, tum per creaturas suas, tum per semetipsum, confortare decreuit. Et quidem de consolationibus, quas illi per præfatas sacras Virgines ministrauit, paucissima hæc mihi comperta sunt, quæ per hoc scriptum memoriæ commendauit: supersunt autem multa

G valde,